



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Governatore Deo
Distribvta**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1648

§. 17. Constantini Manaßis de auro elogia, quod malè pro Numine colitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)

rum, in hæresi perseuerant! Agnoscunt veritatem esse apud Catholicos, vident errores Lutheranos, aliorumque sectariorum; sed quia officium, quia hæreditatē, quia agros, aut domos amitterent, malunt cælum perdere, quàm aurum; & potiùs dominis aureos montes promittentibus, quàm Deo adhærere. Hæc est illa misera seruitus, quam Deus minatur: *Seruietis dijs alienis, qui non dabunt vobis requiē die ac nocte.* Diuitiæ sunt tales dij, qui requiem non dant suis amatoribus, neque sinunt eos vacare & videre, quàm bonus sit verus Deus. Idcirco Christus disertè affirmat: *Non potestis Deo seruire, & mammona.* Errant ergo quicumque hoc facere tentant. Tentant autem innumeri; qui si hos, quos enumerauimus, diuitiarū fructus expendere, profectò numquam, de sua paupertate, vel de opibus amissis conquererentur.

Jerem. 17.
13.

Luc. 16.
12.

§. XVII.

Constantini Manassis de auro elogia, quod malè pro Numine colitur.

Potiùs exclamarent in modum Constantini Manassis, qui cum stragem captiuorum à Chagano Scytharum rege, miserandâ scenâ editam, ob illiberalem Mauritij Imperatoris

In Annal.
ann. 137.

peratoris parcitatem, immò sordidam & crudelem auaritiam, describeret, in hæc verba prorupit. *O aurum tyranne crudelis, hominum persecutor, audacissime, fraudulente, arx malorum omnium, castellum perniciæ, vastator urbium, propugnaculorum euersor, murorum dilacerator, oppidorum oppugnator, ædium succussor, qualibus malis mortales diuexas.* Nulla res in hominum vita tecum in certamen descendere potest: nulla res terrena tecum potest in comparationem venire. *Durum emollis, mollem induras: linguam mutam soluis, loquacem comprimis: currendo valentem tardum efficis, ac vicissim de tardo volucrum. Corda inflamas, & voluptate quadam demulces; sensus illecebris inenitabilibus, ceu prestigijs quibusdam excantas: cum interim venustas illa tua non minus veneno suo, quam vipera nocet. Leges & iura proculcas; verecundiam & pudorem abigis, sepulchra violas, parietes perforas. Nihil non habes venale, nihil non prodis. Nimirum friuolum quiddam est, ac fabula mera, vulgò quod dicitur; adamantem solum sanguine molliri. Quid enim esse te possit efficacius, etiam in saxis emolliendis? Hæc Constantinus Manasses, quæ sunt verissima. Aconita, quia de veneno sunt infamata, nemo pro lactuca*

Et uca comedit: aurum tot titulis noxium,
 homines adhuc gestiunt deuorare? semper
 fatitelligi, numquam satiandi. Et, quod
 peius est, in ipso morbo, se sanos esse rati.
 Nullum enim ex omnibus inuenies, qui se
 auarum esse fateatur; plurimos tamen, qui
 sint sub hac idolorum seruitute; nec enim
 Numinum, sed idolorum. *Qui est enim, ait*
Arnobius, qui credat, esse deos Lucrios, & lu-
crorum consecutionibus presidere, cum ex turpi-
bis causis frequentissimè veniant, & aliorum,
semper ex dispendijs constent? Et paulò infrà.
Quis deam Pecuniam esse credat, quam, velut
maximum Numen, vestra indicant littera de-
nare annulos aureos, loca in ludis atq; spectacu-
lis priora, honorum suggestus summos, ampli-
tudinem magistratus, & quod maxime pigri-
ament, securum per opulentias otium? Auari
 hanc Ethnicorum insaniam ab inferis reuo-
 cant; Deum verum spernunt, nummum
 pro Deo colunt; & hinc non solùm stulti,
 verùm etiam impij; qui oderunt, quod
 colendum, & volunt, quod exe-
 crandum.

Arnob.
 lib. 4. ad-
 uersus
 Gent.

